

Hom 1759

185.42

TRAGICUM HUMANI GENERIS CUM MORTE
EPITHALAMIUM

à Serpente, in Pronubam verso, vetiti pomi esu subarrhatum;
Sed

In Divinæ Sapientiæ Synedrio
Advocatam Agente.

M A R I A

Optatissimò divortiò annullatum,

Atque

Parthenijs DEIparæ Clientibus DD. Sodalibus
Sub salutari Marianæ pietatis umbra in suavem quietis somnum
commutatum;

In Anniversarijs Exequijs

*Almæ Sodalitatis Latinæ Majoris, sub
titulo MARIAE Virginis ab Arch-Angelo Salutatæ, in Cæ-
sareo & Academico Societatis JESU Collegio Vetero - Pragæ
ad S. Clementem erectora, & confirmatae*

Panegyrico funebri propositum:

à

JOANNE NEPO: WENCESLAO, FRIDERICO STEYDL de
GREIFFENWEHR, Patritio Pragensi, AA. LL. & Philosophiæ Ma-
gistro, Sacro-Sanctæ Theologiæ Baccalaureo Formato, nec non
ejusdem SS. Theologiæ Supremæ Doctoratus Lauræ &
J. U. Candidato, Auneticensium Curato.

Annò à partu Virginis MDCCXIX.

Mense Aprili, Die 22.

Vetero-Pragæ, impressit Joannes Wenceslaus Helm.



HONORI & VENERATIONI
REVERENDISSIMORUM,
ILLUSTRISSIMORUM,
PERILLUSTRIUM,
EXIMIORUM,

ac

AMPLISSIMORUM
DOMINORUM, DOMINORUM
DOMINI

P R A E P O S I T I ,
D E C A N I ,

Cæterorūmque

Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ,
ac

Reverendissimi, sempérq; Fidelis Capituli.

Ad
DIVUM VITUM MARTYREM
in Castro Pragensi

P R A E L A T O R U M ,

Et

C A N O N I C O R U M ,

D O M I N O R U M P A T R O N O R U M
G R A T I O S I S S I M O R U M .



REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES, EXIMIJ, ac AMPLISSIMI
DOMINI DOMINI
PATRONI GRATIOSISSIMI.



*Idelissimam Generis Humani Advocatam Vir-
ginem MARIAM nemini justius, quam Ve-
stro, Reverendissimi semp̄erque Fideles, de-
cuit praesentari Capitulo. Vos enimvero,
quanquam ab Aquilina Imperij Majestate A-
gniti, nuncupatique estis semper Fideles, à Parthenio tamen
etoque constanti in Cœli terræq; Reginam candore equissimo
jure auditis Fidelissimi. Dictorum testem appello Bohemia
Leonem, cui æmulam industris virutem Heroës Invictissi-
mi, cum perduellitum olim DÉO, Cæsari, ac Patriæ inimico-
rum, adversus Orthodoxam Reipublicæ Christianæ verita-
tem, & MARIANI honoris austarum iniquissime decer-
tantium, herda pietate Fideles semper Romane Fidei, ac
MARIANÆ Gloriarum Propugnatores edomuistis insolent-
iam. Verum, ne ab antiquis duntaxat monumentis Ve-
stræ promanet plentissimæ in DÉlparam encomium fidelita-
ti, ad nostram animum adverto temporis æram, quâ illius
juge perhibetis testimonium, dum servata fidei indicem*

quot annis solennem ducitis processum **MARIAM** de Victoria supplici homagiō devenerantes. Quid, quod etiam quibusvis **MARIAE** solennijs ad Sacrum Immaculatę DEI Genitrici Colossum haberi solitam, raro virtutis, ac pietatis exemplō, Infulā & pedō condecoratis supplicationem? Amplius est, quod toti quanti ad ampliandum incumbatis **MARIANI** honoris ornamentum Praesules Amplissimi, Comprobant id tot extructae munificō affectūs Vestri impendiō Matri Admirabili Basilice, in quibus illa quoque Auneticij Beatae Virginis in Cœlos Assumptæ censenda venit, quam faventissimus mihi annutus Vester comisit administrandam. Temerarius Jane forem, si cuncta Vestre constantis in Virginem **MARIAM** fidelitatis monumenta exili hac stringere paginā meditarer. Unius satago, ut nimirum **MARIANÆ** Gloriæ Promotores Fidelissimi, quod Vestro corde in DEI param alitis amoris incendium, claritudinem ejus meam dimanare faciatis in Advocatam. Agite Patronos Advocatæ, ut Illustrissimō Vestri favoris radiō elucidetur, meq; sustineat Oratorem, qui cernuō venerationis homagiō pedibus accido.

**REVERENDISSIMORUM, ILLUSTRISSIMORUM,
PERILLUSTRIUM, EXIMIORUM,**


ac

AMPLISSIMORUM

DOMINORUM DOMINORUM

Indignus Capellanus.

Ioannes Nepo: Wenceslaus
Steydl de Greiffenvehr,
Curatus Auneticensis.



ORATIO.

I posthumi Herorum præcones, fastigiat gloriæ colossi, superba pègmata, & victoriofa trphæa inter clangentium tubarum sonitus, reboantem per auras tympanorum strepitum, amœnum inter (a) citharæ, fistulæ, sambucæ, & symphonie sonum, svaves modulantium concensus, inter applaudentium gaudia & tripudia ergebantur: si aurô gemmisque pretiosè vestita festivo nitoris apparatu radabant, & ad repellendam omnem tenebrisosæ noctis caliginem lucidissima succendebantur Luminaria: si (b) circum appendebantur ex omni parte tentoria aërei coloris, & carbasini, ac hyacinthini sustentata funibus byssinis atque purpureis; quomodo Tu hodie Alma Sodalitas inverso rerum ordine pijs, gloriosisque Tuorum Sodalium Manibus præfens non gloriæ, sed doloris funestum pègma erigis? Dum in ipsa Anniversaria erectionis Tuæ Solennitate pro jubilis & aplausu, pro læto clangentis tubæ, ac amœno citharæ sono, pro svavi modulantium concentu mœstissimum occinis lessum, atque lustifica parentalis gemitùs edis lamenta? Profectò non intelligo, quid sibi velit subiungum tuum, quæ alias meritò Filia lucis appellabarisi, cum lus-

(a) Daniel. 3.

(b) Esther. 1.

Et uosa tenebrarum caligine foedus initum, dum hodie facta lucis inimica omne diurnum lumen abhorres, illudque deatratris in mœrorem parietibus, appensis undique pullis peristromatis, tristè nictitantibus ignium nitedulis repellere moliaris? Cur amoenissimo cæteroquin amicta lucis meridie atram superinduis mœroris Cimeriam, lucem pulcherrimam Phœbi solem tumulatura? Cur proscriptis immortalibus cedris, evulsis viëtricibus palmis, eradicatis umbrosis platanis meras implantare niteris fatales cupressos? Pande, quomodo tota versa es in luctum ô Alma Virginis Annuntiatae Sodalitas? Quid arcani continent tui illi plorantis gemitus, quid auras feris? Quid sibi vult funestus in genis pallor, quid crystallinis ex oculis promanans fons lachrymarum? Sed tacente Alma Sodalitate, dum plenissimum hunc funeralium diem in mestissimam abire noctem vigilantiore circumspicio oculô, & deploranda prostratae pulchritudinis rudera, lacrymabiles corporum ruinas, caaveribus cumulata cadavera, atque iniqua in luctuoso hoc mortis pegmate spolia, ipsum in aded deformem molem architectante libituro affectu doloris castrum elingui operis sui facie causam mœroris vocalissime eloquitur. Non hoc Alma Sodalitas, sed de universo genere humano viætrix sibi in trophaeum cæca erexit libitina, dum ab ipsa in cunabulis adhuc vagiente Orbis infantia universum genus humanum tyrannidis strinxit compede, furaque potestati mancipando inevitabili subjugavit servituti. Enimvero postquam infelix Proto-parenatum Nostrorum indebitæ sibi excellentiæ arrogantia, nequaquam contenta maritari primæ innocentia, latentem sub cortice doloſæ sponsonis: *Eritis sicut Di scientes bonum & malum* (c) mortem adamâſſet, jämque omissis alijs matrimonij solennitatibus à verso in Pronubam latente stygio sub herba angue, oblato duntaxat nuptiali convivio, toto pectoris anniſu conjugij vinculô neq; ambivisset, vetiti fructus eſu consummavit Hymenæum. Sed eheu! quam subito geniales tragedæ evaserunt, quam funestus conjugij nexus, quam

no-

nocivum Epithalamium : immortalis enim induit mortalem ; liber captivum, Elysiorum Dominus ad regionem spinas. & tribulos germinantem relegatur, & pro expetita in vanum DEITATIS excellentia , quam insanè suspirabat homo , conjugali introductam thalamo mortem , universo miseriarum stipatam comitatu amplectitur, & cum ea omnem non sibi solum , sed etiam posteritati inducit maledictionem , factus Divinæ prævaricator , & læsæ supremæ Majestatis reus fulminantem audire debuit sententiam : (d) *Quia - - comedisti de ligno, ex quo precepiteram tibi, nè comederes, maledicta terra in opere tuo.* Nec mora, demandatam sibi Vindex deputatus executioni continuo mandat sententiam Cherub , & spoliatos omnibus , quibus in Paradiso gaudebant gratiae donis , pro stola primæ innocentiae tunicis pelliceis amictos , Proto - parentes cum infamia proscribit, ejicitque è voluptatis Paradiso ; ut sic non solum ignominiosè ejecti abeant in terræ spinas & tribulos germinantis exilium ; verum etiam omni ad perennaturam vitam jure amissio sub jugo mortis viverent condemnati . Et hoc est AA. Parthenij, quò respexit videtur videns illa Apocalypticæ Aquila, cùm visionem suam ita describit : (e) *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super illum nomen illi mors, - - & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere.* Videte enim , si lubet, quomodo mox ab accepta potestate universum , quā latè patet orbem libitina mutari in sepulchrum ! spectate in quatuor orbis plagas , & hanc humanæ naturæ obviam ubique invenietis deprædatrixem : Lustrate Regum solia , Principum palatia, Rerum-publicarum Curias, Causidicorum fora, Philosophorum lycæa, Bellatorum campos : inspicite Prædicatorum pulpitos, Civium domos, Plebejiorum tuguria, & feralia latè dominantis intuebimini mortis vestigia , ubique collapsorum lacrymabiles corporum spectabitis ruinas ; & nè, quod hodiedum de humano genere vivit, vitâ glorietur, paratam in votis falcam tenet libitina , dum privilegio sibi concessò insolenter gloria tur : (f) *Statutum est omnibus hominibus semel mori, quô fulmina-*

nati lucidissimæ orbis ecclipsantur luminaria, elinguunt Ora-
tores, enervantur Samsones, hebescunt Salomones, sagô ex-
purpurantur Reges, clavâ privaturn Hercules, formæ speciem
amittunt Helenæ, omnes denique nullo discrimine mortis po-
testati subiecti in umbras & cineres abeunt, ac putredinis mo-
numenta. Descendunt universi purpurei Reges, & in honoris
turba cum paupere misti depósito luxu exangue sunt mortici-
num. Et hæc est, nec alia Sodales Parthenij tam tragica na-
turæ humanæ fors. Filiorum amissio Amantissimæ Matri Al-
mæ Sodalitati justorum est radix dolorum : hinc ille gemitus,
ploratus & lamenta meritò consolari nolentis Rachel : quia
violenter avulso à maternæ dilectionis ubere, & per tantam
mortis tyrannidem in terram miseriæ & squallorem ergastuli
conjici intuetur liberos.

Sed macte animo mœstissima Rachel, noli flerè ! exterge
lacrymas, & tetras oculorum nubes serena Alma Sodalitas, re-
motò procul mceroris peplô induere bysô & purpurâ, thre-
nos ac nærias in festiva jubila converte, Pæana cane : (g) *Absorpta est mors in victoria.* Surge, & propera ! Amata tua
pignora, charissimos filios è servitute mortis in terram lacte &
melle manantem translates visura, quos quietissimô umbra-
MARIANA Morpheô placidissime recreat. Delusa namque
est Mors, repudiata à conjugio hominis libitina : quoniam U-
nâ (nunquam decretô Divinæ Themidos inclusa) in Omnipot-
tentis tribunali Agente Advocatâ M A R I A funestum generis
humani cum Morte cõnnubium decisô divortiô annullatur, at-
que non tantum exhaeredatio patriæ cœlestis, per plurimas in-
gratitudinis labes contracta remittitur, q verùm etiam lata olim
servitutis, mortisque æternæ sententia, posteaquam adeò effi-
cax MARIANÆ facundiæ argumentum Justitiam DEI Vindi-
cis, ad mutandam legislativam flexit voluntatem, cancellata
destruitur, & relaxatur ; unâ tantum servari iussâ in capienda
deinceps possessione cœlestis hæreditatis cæremoniâ : nè quis
nimirum eandem adire valeat, priusquam per mortem tempo-

ralem fluxæ carnis extuvijs ad tempus exuatur ; quô carnis indumentô (h) pientissima *Advocata* non priùs Sodales suos à morte spoliari , quam sub secura Maternæ pietatis umbra placidissimo concedant Morpheo ; in tribunali Divinæ Misericordiæ speciali obtinuit prærogativa. Te perfectò ô DEI para à Communi pacto exempta (i) *Advocatam miserorum unicam*, apud DEUM Thecuitem facundissimam , quis non de-prædicet ? quæ mirò eloquentiæ flumine Divinæ Iræ fulmen sopivisti , & calcata mortis tyrannide hominem libertati restituisti. Quis non tutissimam Maternæ pietatis Tuæ extollat Umbram ? Sub qua Sodales Tuos securè indormientes pro amissō carnis indumento albâ induis stolâ , & veste nuptiali candicantes ad (k) *Nuptias Agni Immaculati* introducis. Atque hoc hodiernæ dictionis meæ erit argumentum. Tu interim Alma Sodalitas , cùm non amissos , aut Captivos , at liberos æternumque viventes , facundia MARIANA in terram lacte , & melle manantem introductos conflexeris , mutatò in jubila lessò gaudie , lætare , & exulta.

Cùm absoluta à luce condita noctis periodo lucidissimus ille orbis ocellus , pulcherrimus astrorum Princeps , & diurnæ lucis Præses deaurato luminis candore orbem denud illustrâset : ut Supremus Cœli , terræque Architectus , Altissimus rerum omnium Creator universæ conditæ à se machine supram velut manum imponeret , è vili quidem Damasci gleba , sed ad imaginem DEI , nempe suam , creavit hominem : (l) *Et factus est homo in animam vi-ventem.* Nec stetit hic DEI in Proto - parentes nostros beneficentia , sed tulit DEUS hominem , & posuit eum in Paradiso voluptatis ; quin & omnium , quæ aut crystallinum Neptuni Imperium , aut vastissimæ Telluris ambitus præfixas sibi concludit inter Cannas , effecit Dominos , eorūnique mancipavit potestati : (m) *Dominamini piscibus maris , & volatilibus cœli , & universis animantibus ,*

B

que

(h) Richardus à S. Laur. l. 2, p. 86.

(i) S. Bonavent. in Coron. B.V.M.

(k) Apocal.

(l) Genes.

(m) Ibidem.

que moventur super terram. Procul hinc vanissimæ Poëeos
figmenta, dum in Hesperidum hortis, in Campis Elysijs amœ-
nissimam deliciarum fatagunt depingere regionem. Fabulosa
sunt hæc somnia, si voluptatis Paradiso, quō deliciosa perfrue-
bantur Proto - parentes nostri , comparentur. Ibi enim verò
non perstrepit Auster turbulentus, non quidquam Eurus, Af-
fricus, Notusve ab imis evertit sedibus, non Aquilo nives ciet,
aut grandinem; sed svavè colludentes cum aura assiduè re-
gnant Zephyrus, & Favonius: ibi continua eaque amoenissi-
ma alternatione Sorores geminæ Flora cum Pomona concer-
tantes, amica hostilitate opibus se se superare conantur, dum
hæc opulentissimum celebrans Autumnum multiplici omni-
geni fructus fœtu arbores constanter gravidat ; illa virides
campos atque ridentia prata fragranti florum affluentia exor-
nans perpetui veris delicias jugiter exhibit. Quibus nè in-
feriora æmulari videatur Nemorum , montiumque gubernatrix Diana, suæ pariter explicat voluptæ opulentiam, quan-
do pulcherrimo arborum ordine lucos, svtaque volucres de-
poscit in habitacula , altùm silentes præruptorum montium.
specus admirabili naturæ artificio mansuetis adhucdum feris
distribuit in receptacula, saluberrimas opimæ terræ herbas &
radices proponit in escam, limpidissimos aquarum rivos pro-
pinat in haustum, & nè ab alijs superata palmam victoriæ ce-
dere cogatur, omni conatu non animantibus solùm, verùm
etiam u niversi l'paradisi Præpositis Protò - parentibus nostris
aded præparat ad voluptatem & delicias, ut indè abigatur lu-
etus, pallidæ pellantur curæ , molesti extirpentur morbi, dis-
fidi a, & discordiæ omnes exulent, excludantur famæ & tur-
pis egestas, omnique procul propulsatô bellô & morte opta-
tissima jam indefectibilis vitæ pax longè latéque usque aded
dominetur, ut omnis feritatis ignari lupus & Agnus, Leo &
tigris simul morentur , & in omne pronissimi obsequium Ho-
minis voci obtemperent.

Si quærat hic quispiam, cùm juxta juris Consultos mu-
tuus

tuus inter investientem & investiendūm, inter Dominum directum & Vasallum intercedere soleat contractus, quō donatus investiturā Vasallus investenti Domino quædam servitias præstare obligatur, quodnam singularissimō hōc fevdō à supra Numinis Majestate investiti Vasalli novelli obligentur præstare homagium? Audiat, & supremæ Majestatis obstu-pescat benignitatem! quando non ad aliud, quam ad unicam observatu facillimam obedientiam, ad unius, ubi mileni alij suppetunt, arboris fructūs abstinentiam Proto-parentes obli-gavit. O ætatem auream! O fortē desideratissimam! O æternatura jubila! Sed eheu quæ humani generis est vesania! Infelicissimi parentes nostri non contenti tantā bonorum affluentia insurgunt contra Dominum usuarij, contra supremam Majestatem rebelles Vasalli, atque excussō debiti homagi jugō per fas & nefas firmatum ipsa Numinis autoritate, contractum violent, & cœca illecti cupidine vetitæ arboris fructum carpendo non sibi dntaxat, verū etiam universæ (sola excepta Gratiarum Matre) præjudicant posteritati. Stupe A.A.! vixdum guttur primi Pastoris fatale subit pōnum, & jam latentem toxicī diffundit perniciem, quā velut Circeō aspersi succō perduelles Vasalli subita metamorphosi se se conspiciunt transformatos. Viduantur innocentiae, & gratiae polymitā, pullōque indecori noxæ indumentō Amici Numinis contrahunt inimicabilis odij reatum; Divini amoris favore in furorem converso facti mortales immortalitatis amittunt pri-vilegium; gaudia abeunt in nærias, libertas in servitutem, benedictio in maledictionem; quin & fulminante in læsæ Majestatis reos justâ ultiōnis sententiâ perpetuum relegantur in exilium Osseæ crudelitatis ludibria futuri. Hunc nempe at-tulit fructum violata in vetito fructu abstinentia: quando non tantū Proto-parentes cum posteritate jugi multavit exilio, verū etiam universas animantes in Domini sui conjurare fecit internacionem. Non præstitō enim, quod altum Divinitatis exigebat Dominum, obedientiae homagiō, jubis minax

irrigit leo Humanæ dehinc voci non pariturus ; hiante spumat rictu, & collisa dentium acie frendet tigris mortalibus interitum allatura ; vigili oculo in arborum specula excubat lynx, ut præcipiti morsu funesto præludat occasui primævi morsus refricatura memoriam ; cuncta denique animalia fatalem Hominis conspirant in ruinam. Quid, quod & ipsa mater, Tellus nimirum, concessum pro exili corporis mole, pulverem repetit, atque ea de causa noxios germinando humanæ complexioni fructus, immixtum eorundem dulcedini virus tanto conatu membrorum instillat compagi, quanta cupit aviditate, ut collapsa sepulchrō tumulentur in cinerem resolvenda. Qua verò crudelitatis tyrannide in Adæ posteros, depastò olim pomô Homini maritata, exoculata desæviat libitina ? Haud meum satis proponat eloquium. Sileat Busridem Ægyptus, Phalaridem cum Dionysio Tyranno Sicilia, non jacent Berillum Athenæ, crudelior his omnibus pallido sonipedi insidens est larva mortualis , quæ inter Elysij Paradisiaci flores genita, dulci florum capta illecebraw, in rosas vetusto avorum sangvine rubescentes, in lilia argenteo candore stemmatis claritudinem adumbrantia, in violas religiosæ humilitati foederatas falcem impunè mittit, hâc saginâ immensum ventris ossarium impletura ; imò etiam initi adeò tenax est conubij, ut vibratò funesti amoris spiculô non tam mortale genus pelliciat, quam tentâ funeris pedicâ reciprocum captivet in amorem. Hic profectò illius labor est, hoc opus : hinc indefessa Cyclopum manu ferrum protendit in acinaces, mortiferas aptat in bipennes, lunat in arcus, ipsamque Persei harpen suis optat ausibus deservire. Ac, nè otiosa rubiginem contrahant arma, Erynnem concitat, ut Martis germani sui illapsa præcordijs cruentum extimulet spiritum haud alio, quam purpureo Heroum sangvine sopiendum. Neque eò duntaxat ossei monstri collimat studium : terraquei insuper callem deceimpedò metitur vestigiô, & insatiibili esurie viatorum terrâ, matique invigilat exterminio. In montes proin-

de agglomerat minaces fluctuum procellas, Scyllam excavat,
& Charybdin, ad quas repento impete allisi remigantium,
myoparones sepulchrali hauriantur abyso. Quid agant tantum
servitutis jugo oppressi Adae posteri? Crudelitati ferendae
impares lamentabile intonant vae! ruptoque amborum lumen
profluviō fatuam damnant gulæ ore xim; fastidiunt
ambitiosum DEItatis quæsitæ fastum, luctusque plenô illacry-
mantur suspicio: (n) Vae! qui transgressi sumus foedus.

Salutaria haec generis Humanis spiria, tametsi adamantinis ob-
firmatum vectibus, excludere tamen nequit Empyreum, quod
minus ad Altissimum penetrant solium Divinitatis. Audit
ergo suprema pro tribunali sedens Majestas luquolas perduel-
lum de inito cum Morte connubio querimonias, & de dando
repudiij libello actionem optat inchoari. Verum quanquam
cætera habeantur secundum juris legem requisita, qui tamen
reorum sustineat partes, & laesæ Majestatis supremæ devin-
ciat Clementiam, desideratur. Age jam ad posterorum inter-
nacionem tuò nimium facunda eloquio Proto-parens Eva, &
quos dolosi serpentis lenociniō seduxisti, nervoso verborum
apparatu priori redde felicitati. At enim actum est, ut video:
quæ nimirum semel mortiferò Avernal is Ceraстæ afflata sibilò
fatale mortis toxicum suis hauserat labris, nunquam salubri e-
loquentia ad annullandum Mortis foedus Divinam flectet misericordiam.
Perditum perfectò jaceret mortale genus, nisi
ictum cum Morte connubium feliciore oris telo, quod à fatali
morsu abstinuit, dissolveretur.

Et cujusnam illud est oris telum? Illius videlicet, quæ
hodie meum fluxit in argumentum; MARIÆ inquam, quæ
oblatum ferale non degustavit convivium, neque à verso in-
Pronubam angue stygio sponsonis recepit arrham. Illa pro-
fectò tota pulchra, & primævæ expers maculæ, quia (o) nun-
quam vetitum decerpserat arbore pomum, Tullianò disertius elo-
quiō humani generis evicit causam Advocata. Enim verò spe-
cia-

ciali gratiæ privilegio, à proximo quoque exempta debito, nunquam elatō adversus Divinitatem tumuit superciliō, neque indebitam DEITATIS ambivit excellentiam; sed è Diviniore procedens latere, ut eam de se loquentem inducit Chaldaeus: (p) *Eram in illius latere, & cum illo cuncta componebam*, fastidivit Evam, quæ de Adam latere sumpta tumenti fastu venturæ præjudicavit posteritati. Una proinde M A R I A sacris olim promissa oraculis colubri avernalis contrivit caput, quando virulentum recusans obsonium pura à culpæ toxicō servavit labia, ut crudelis libitinæ jugō oppressæ causam ageret mortalitatis. Hanc verò transegit feliciter, quoniam mellifluō Clarevallenſis suffragiō abscondita in Divinitatis gazo-phylacio cœlestium gratiarum dona, (q) *quæ ante illam nemo invenire poterat*, patefecit, cùm per cœlestem Caduceatorem Archi-Angelum à DEITATIS Synedrio missum recepit: *Ave gratiâ plena.*

Hic ego Angelicis nolim obstrepere vocibus Sodales M A R I A N I, mecum itaque, si lubet, adventantis ab Empyrei regia Cœlestis Aulici legationem contemplemini, ut major in dictionem promanet claritudo. Advolat è splendoribus Sanctorum humanam indutus speciem Arch-Angelus, ac innocentι vultū decore Adonidis vincit pulchritudinem. Quantæ sedent in ore gratiæ! (r) *Os, bumerosque DEO similis!* Rutilantibus astrorum pyropis æmula radiant in fronte lumina; liliato candori immista, genas occupat rosarum purpura, corallina oris venustas faciei conciliat Majestatem. Defluit aurea in humeros Cæsaries, ac lenioris auræ favonio cirros committit ventilandos. Nitidissimam corporis Symmetriam phrygio labore contexta, aurique filo picturata exornat chlamys, quæ defluō talos allambit paludamentō. Hac inquam, decorus specie Cœlorum Genius parthenium Nazarethanæ domū adit limen, Divinique veredus nuntij affatur Virginem: (s) *Ave gratiâ plena.* Hæret in sermone cœlici Ca-

(p) Versio Chald: in Proverb: cap. 8.
Mariali: 135.

(q) S. Bernard: apud Ernest: in
(r) Virg:
(s) Lucæ 1.

Caduceatoris MARIA, donec intelligat Filia Principis : (t) *invenisti gratiam apud DEUM.* O faustam legationem ! quæ VERBUM annunciat, quô humani generis causam evincat Advocata. VERBUM, cui Divina nequit refragari Justitia, ab æterno enim ex utero Patris Genitum tantâ pollet efficaciâ, ut eô solùm dictâ omnia facta, omnia sint evicta. Illius proinde VERBI, quod per naturam Divinæ est Virtutis, Genitrix fieri amat Virgo Immaculata, útque VERBUM concipiat utero, vocale gignit verbum : *Fiat.* Vestræ jam ego immortales umbræ, quam pronubum vobis MARIÆ verbum peperrit, applaudo felicitati ; subarrhatum quippe vetiti fructus esu annullatur connubium : quando Virtus Altissimi Matrem obumbrat Virgineam, quæ Advocata VERBUM concipit libitinæ inimicum. Tuam verò hodie crudelem ô Mors ! rideo insolentiam, quæ MARIANI oris ista eloquio feralem in genus humanum amisisti dominatum. *Ubi Victoria tua ?* Eligni nata materia, indiscretâ tyrannide, agnatas falce succidisti plantagines, & nulla adeò sublimis succrevit, cujus apicem non præcideres ; nulla tam altas egit radices, quam non excaudicares ; in cupresso Cyparissos, in palma Heroas, in lauro coronata Regum capita enecuisti ; ex ligno natæ teredo, Cedros immortalitati sacratas, in triumphalem gloriæ arcum lunatas, in foliatam honoris pyramidem erexitas, ligone subrufisti. Verum jam, cùm (u) *Advocata apud DEUM*, quæ non potest sustinere repulsam, perorat, soluto maritalis vinculi fœdere tuum viduæ corruit imperium. Neque tumulata manere potest confusio tua, quantumcunque illustria morticinis incolas sepulchreta ; Virgo quippe DeIpara, quæ unius VERBI conceptu mortalibus inimicum rupit connubium, Divino (x) *Amida Sole lucidissima* radiorum claritate tuum jugiter apricat vituperium. Facesse proin doloso angui cognata Erebi propago, & pallentem ossium umbram profundo gehennæ cela monumento. Hesperugo es, tristitiae orcinianæ contuber-

na-

(t) Ibidem.

(u) S. Bernard: apud Ernestum.

(x) Apoc. x 2.

nalis ; umbra es æternis digna sepeliri tenebris. Proficiscere ad stygis colubrum infelicit connubij paronymphum. Nullum deinceps tibi repudiatae jus manet in mortales , quām ut fluxæ carnis tantisper sceletō glorieris , donec pij Manes reasumptō gloriosi corporis indumentō ad vitam redanimentur in Empyreo perennaturam.

Quanquam nec in caducas mortalium exuvias absolutum conceditur libitinæ Dominium Sodales Parthenij ; nequit illa libituro ausu in vitam iñimicari , aut indiscreta barbarie funestum de humani generis internecione agere triumphum. Enimvero , nè morticinis promiscuè delicietur , ac in evanida mortalitatis lenocinia (quæ unō malō , velut ovō exclusa , dentium prodijt ministeriō) avarum exerceat imperium ; offæ domesticam tyrannidi coercet ingluviem M A R I A Advocata , quæ unius VERBI alloquiō Altissimi eò flexit Misericordiam , ut singulare suis obtinuerit Clientibus privilegium : nè nimirum , qui novō quodam & eminenti fraternitatis generi , atque modō amicitiae penè supremo , in Virginis filios adoptati nomina Albo inseruerunt Parthenio ; nè , inquam , libitinæ cedant in spolium , quoad fluente ab Uberibus Virginis gratiarum lacte reficiantur sub tutissima Maternæ pietatis Umbra , in (y) lectulo florido requiem habituri : introducendi postliminio ad Agni nuptias Convivæ. Sic nempe MARIA (z) Præses vitæ , & Custos Tutissima , Advocatam suorum agit Filiorum , & Mortem victoriosam cæteroquin Universæ carnis depopulatricem ab humano genere æternō separat diuertio. Allidatur jam fragilis cymbula animæ , ad communis interitus scopulum ; sed decumano mortis fluctu impulsus animus , vitali aspirante Zephyro , ad fortunatas appellest insulas dirigente Cynosura (aa) Matre viventium. Distabescat caro in exiguum cineris scobem , super farto tineis cervicâli longam annorum noctem dormitura , sed ex hisce pulveribus ,

Advo-

(y) Guili: Parisi: in cap. i. Cantic: MARIAM dicit lectulum floridum.

(z) Theophyl:

(aa) S. Epiphan: de B. V.

Advocatâ DEI Genitricê, mens novi pignoris annulô immor-talitati subarrhata aureum sibi spondet fæculum : posteaquam Virginis ab ore , DEI VERBO fœcundæ, solatijs plenum in-audit oraculum : (bb) *Qui me invenerit, inveniet vitam.*

Festiva proinde vobis Parthenij Manes , accino épiricia: quando ineffabili Advocatæ eloquiô, subarrhatum gustatô ve-titæ arboris eduliô cum morte connubium , intueor annulla-tum. Funeratus jacet mundi prædo, spectrum occiditæ mor-talitatis ; inferioris mundi depopulatrix suæ ingemit viduita-ti. Requiescite sub umbra Virginis, quam Spiritus Sancti Vir-tus obumbravit. Enimverò Divinissimæ huic Umbræ suum debebit Beatitudinis fulgorem, illa alterius orbis diuturnâ nox, quæ veluti limpidissimum diei serenum subinde illuminabitur. Tu verò Alma Virginis ab Arch-Angelo Salutatæ Sodalitas in-ter collabentis mortalitatis rudera triumphale explica laba-rum, & gloriofis Tuorum Sodalium Manibus , seu jam super-næ regionis Elysios perambulantibus , seu inter piaçulares ignium flamas consistentibus perennaturum appone Elogi-um , & MARIANIS inscribe fastis illustria gestorum, virtu-tum, ac meritorum décora, quæ aureo charactere Cedris in-aranda Parthenius concepit Amor.

Priimus in censum gloriæ veniat , qui indeptam à Majoribus lucem majori compensavit luce, & nascendi fortu-nam virtutum, ac meritorum ditavit pretiò Illustriss: Dominus Dominus JOANNES IGNATIUS L. B. de PUTZ & Turre-Aquila, Dominus in Niems, Divin, Mentzdorff, Poseditz , Drausendorff, & Dlaschowitz , Sac: Cæf: Regiæque Majest: Inclytorum Judiciorum Cameratici , & Fevdalis in Regno Bo-hemiae Assessor, & Regiæ Cameræ Consiliaritus,

MAgnum orbi vixit prodigium
Vitam exorsus à thaumate ;
concipi nequivat ,

C

Ni-

(bb) Proverb: g. c.

Nisi Illustrissima Paren's in Divum spem conciperet Ignatium,
ut ei votô impetraret vitam,
in quem collimabant vota populorum.

In octava Desponsatae Virginis
Sacrô baptismi lavacrô factus est gratiae Paranymphus,
JOANNES
nomine & re :

Quia ex illa hora Matrem Gratiarum recepit in sua,
ut MARIA Joanni esset Spôsa,
&
Mater.

Laureti in Italia Virgini Immaculatæ præsentatus

Innocentia lac

Ab Ubere suxit MARIANO ;
hinc

Angelus in Carne
didicit æmulari Discipulum, quem diligebat JESUS,
& amoris arrâ despontari
Reginæ Angelorum.

Adolescentior

ubi Musas virtutum agnoscit Comites,
in Parnassum vela fecit

Scaturientes limpidissimô profluviô sciëtarû fontes combibiturus
ad Salutem.

Aristotelis emensus Peripatum
è Justiniano omnem condidicit Justitiam ;

Illustrissimis Natalibus

Sapientia affudit claritatem,
Amavit in Libra justitiam, sed nunquam non Virginem;

Utpote

Constans illibati pudicitia floris Amator' ;
Penè alter ævi nostri Henricus,

Ad Inclytum Cameraticum, & Feudale proiectus Judicium,
hac conditione acceptavit honorem ,

Ut

Ut ad juris trutinam prospiceret Universis,

Nulli unquam fuit injurius :

Omnibus gratus ,

Quod nihil ageret ex gratia ,

Omnia Sapienti consilio , & vigili justitia moderaretur ,

Omnes in illo agnoverunt sublimes naturæ dotes ,

Qui altius aspexerunt .

Influebat etiam in animos ,

Non tantum inclinando , sed propè captivando

Libertatem in ipso certamine libertatis .

IGNATIUS

Cum vitali spiritu Loyolæ hausit spiritus fervorem
in cunabulis ;

Summam Divinissimæ Triados Gloriam ,

Quam, cœlico lumine eximia Loyolæ mens, Theosopham
strinxit in epitomen ,

Auxit Basilicâ .

Quæris, quantum in Viro eminuerit Religionis studium ?

Absolutæ perfectionis :

Opere DEI Tri- Unius Majestati Sacro
consummatum .

Pauperes amabat ut filios ,

Quos rerum suarum hæredes fecit in vivis ,

Nemine suorum conscio

Nesciente etiam sinistrâ , quid faceret dextera sua ,
satis habens , quod DEO constaret .

Per manus pauperum fortunas præmisit ,
quas in terris credidit impedimenta .

Ita divitias coelo condidit ,
dum dispersit .

Quod supererat extremum , pijs causis addixit ,
Etiam Congregationis nostræ Munificus Benefactor .

Hinc

MARIA , Coeli Janua

Eidem Mense Januario Beatæ æternitatis aperuit Januam,
ut Divinæ Bonitatis frueretur thesaurō
in Cœlis.

Alterius gloriosos virtutum ausus Pariae in-
sculpe pyramidi, ut qui factis facta, merita urgebat meritis,
omni vigeat posteritate : Perillustris ac Generosus Dominus
FRANCISCUS NICOLAUS ALSTRLE, Eques ab Astfeldt,
Sac: Cæs: Reg: ac Cathol: Majest: Consiliarius, Majoris Judicij
Provincialis Assessor, nec non in Inclito Bohemiae Regno Vi-
ce-Burggravius.

MAGnum Progenitorum
non impar Germen
Virtute, Justitiâ, Magnanimitate
ab ætatis Aurora pullulavit.
Sacræ, Cæsareæ, Majestatis Consiliarius Actualis,
Consilijs suis præfecit Palladæ
Pietatem, Prudentiam;
Ut Consilia prodeßent omnibus;
obessent nemini,
Bonum publicum promoverent.
Ad Regiarum Appellationum Tribunal Assessor,
Nunquam lingvâ fuit liberior,
Quam cùm pro libertate reorum
liberrima dicendi facultate peroraret.
Eo Assessore
Illa ad tribunal triumphum egit Sententia,
cui æra aliena non applaudebant;
fcelera persequebatur,
Non reos.
In hac officij dignitate sub tribus Gloriosissimis Monarchis
LEOPOLDO, JOSEPHO, CAROLO
meritorum privilegiô

Tri-

Triplex meruit officium ;
Sac: Cæs: Majestatis Consiliarij, Majoris Judicij Provin: Assessoris
&

Vice - Burggraviatūs.

sub

C A R O L O VI

Ter secundus

parūm fortunæ debuit ;

Virtuti omnia ;

cum primis Justitiæ.

Mutuavit ab ea fasciam, & ensenam :

Illâ velavit oculos ,

Liber à respectu personarum ;

Hoc aureas caunerum compedes resecuit ;

nè vinciretur ,

Sed redderet cuique suum.

Canam animi Constantiam, & Veterana virtutum decora

deprædicant singuli ,

Admirantur omnes ;

Non quippe moritur ,

sed vivit

Post funera Virtus.

Assume pennam velociter scribentis Alma So-
dalitas, & metam, quam sub maternæ dilectionis umbra quie-
scens festina morte attigit, postuma Epigraphe insigni.

Per illustris, & Clarissimus Dominus

WENCESLAUS GREGORIUS

ab HANEL,

Cursum vitae exorsus est à limine

Pragæ Bohemorum natus 1665. Die 15. Septembris.

Emensô Studiorum stadiò

Ad Regium Appellationum Tribunal felici cursu subinde appulit,

Seditq; Clarissimus earundē Appellationū Consiliarius annis 17.

In-

Inde Viennam
Ad Cæsaream Regni Bohemiæ Cancellariam
evocatus excurrit.
Quidquid scripsit, aut fecit, manus & pedes habebat,
Et deinceps per sapientum ora ambulabat.
Æquissimus Caſarum Arbiter, & Reſerendariū annis 6.
à fideliter, & laudabiliter commoda opera
multūm Caſari commendatus.
Tandem
Cursu temporis longiore dignissimus,
Sed Beatæ, ut ſuperare licet, æternitati jam maturus
incurrit in tuimulum die 22. Maii.
Atque ita,
Dum Sol orbem iuſtrabat in geminis,
abijt ad proles geminas
Franciscum Josephum, & Josephum Francicum ab Hanel,
quos jure dixeris Angelos in Carne;
Quia annos geminos ætate non excedentes.
Hos præcedere oportebat,
Nè Wenceslao Supremum Imperatorum Dominum adituro
ſtipatores deeffent Angeli.

Subſiste paululūm, & pennam in ſacratiorem
converte ſtylum, poſtequam MARIANIS iuſerendum fastis
elogium meruit Mystes Altissimi : Reverendissimus Dominus
GUILIELMUS ETZWEILER.

Praeclarum Ecclesiæ Columnen
Primam aspexit lucem Coloniæ Agrippinæ.
Ad Magna Nato
Agere, & pati fortia
tessera fuit.
Indoles illum cunctis Amabilem,
Virtus omnibus æstimabilem

red-

reddidit.

Clero animum adjiciens

In Virtutis & Sapientiae Palæstra

In unum Virtutis & Sapientiae studium incubuit;

Quo suffragante

Duxovij in Bohemia Decanatum adeptus

Verus Pastor

Verbō Vitæ,

Virtutis exemplō

Ad Agni Cœlestis pascua suas duxit oves.

Archī- Episcopali Collegio in Rectorem præpositus,
omnes sibi præposuit;

Ad eō nihil in eo mutavit honor,

Nihil superaddidit, nisi ut pluribus benefaceret.

Sermonis Comitas, Morum Facilitas, Animi Candor,
Singularis agendi Dexteritas, Experientia,

Prudentia, Sapientia,

in Eo effecerunt,

ut omnium animos

Aureā veluti catenā sibi devinciret.

Regiæ, ac Exemptæ Wirschehradensis Ecclesiæ Canonicus
Tiarâ redimitus

meritorum obtinuit coronam.

Tandem

Cùm secundas D E O Omnipotenti litavit Primitias,
semet obtulit in amoris holocaustum,

&

Mysta Jubilatus

Ad jubila abiit Regni Cœlestis,

Sta etiamnum ! Sancto quidem veneratura

silentio genuinæ estypon virtutis ; laudes tamen tantilla con-
clusas Illiade Parthenio insertura Catalogo. Quiescit sub MA-
RIANÆ dilectionis umbra, Reverendissimus, Doctissimus,

ac

ac Præcellens Dominus MATTHÆUS SCHMIDT, AA. LL.
& Philosophiæ Magister, SS. Theologiæ Baccalaureus Forma-
tus, Sac: Cæs: Reg: ac Cathol: Maj: Capellanus Aulicus, Rei-
chenbergensium Curatus.

F Rustrà laudatur,
Cujus virtus supra laudem est,
Quam in Viro non hospitam
Sed jugiter omnes mirabantur fuisse domesticam.
Divino animatus spiritu
Vitam dedit Virtutibus:
vixerunt per illum singulæ,
vixit ille per singulas
Mutuô spiritûs animantis adjumento,
Per eas
Meta honori factus,
primum eas donavit æternitatî,
tum quoque posterorum imitationi.
Prudentia, Sapientia,
Morum Comitas, Amica Consuetudo,
summos apud, & imos
Suavitatem à se sparsit Individuam;
Ita Christi Bonus Odor
latere non potuit,
quem tot ornamenta diffudere in publicum.
Catholicæ Majestatis Capellanus Aulicus
Dum soli sibi non patebat,
oculis patebat omnium,
ut Germanum Orthodoxæ vitæ Prototypon.
Verus Ovium Pastor
facundus ingenio, fœcundus eloquiô,
Potens in verbo, & opere
Aliena extirpavit vitia
suæ vitæ exemplis.
Opes

Opes premisit per manus pauperum,
In quos prodigus videri poterat, nisi charitati aliter visum fuisset.

Egere voluit,
ut consuleret egenis,
per quos Telluris spolia in coeleste transtulit gazophylacium,
Et quidquid fortuna eripere potuit,
lucrum fecit virtutis.

Verè Matthæus,
Qui Uni D E O in Pauperibus omnia foenerans
Ipsum D E U M sibi fecit debitorem,
Moriens tandem

Quod residuum erat: pijs addixit causis
Etiam Congregationis Nostræ Munificus Benefactor.

Ita

Parthenij cætus memor
Sabbatina luce, M A R I A N A nimirum
Requiem adjit sempiternam.

Argenteo jam posthumum laudis encomium
annota charactere, cùm Candidæ virtutis Gloria tabulis est in-
aranda. Requiescit sub Virginea M A R I Æ Umbra Candi-
dus Olor Admodum Reverendus, Religiosus, ac Venerabilis Pa-
ter L U D O V I C U S SKURBA, Sacri, Candidissimi, ac
Exempti Canonici Ordinis Præmonstrat: Canonicus, & Profes-
sus in Monte Sion.

C O E L I Lactantius
Concolorem candori Innocentiam
combibit cum laetè;
Candidus animus album dedit calculum pro Candidato,
— ut Parthenio accenseretur Lilieto
Candidissimi Ordinis Præmonstratensis Professus.
In Liliorum consortio
Candore argenteum virtuti dedit pretium;

D

Au-

Aurea Charitate C H R I S T O junctus;

Paradoxum fecit :

Aureane fuerit catena, an argentea,

Ambrone magis, an Cahdor

Qui Eum Theandro catenavit.

Annis 40. Oeconomus

Inter Lilia Convallia, & campi Flores

Divinum Campi Florem prætulit omnibus,

Cujus exemplò diffudit odorem virtutis,

Vice gemina illusit pesti;

Pestis nimirum ei nocere non potuit.

Ecujuſ animo nivea Puritas ſomnem labis eliminavit peftem.

Niveam innocentiam traduxit in mores,

transfudit in affectus,

in omnem vitam derivavit;

Candidior nive, nitidior lacte

Nazaræus

Cum J E S U Nazaræo arduas emensus vias

Veneris die,

ut prædixit,

Ad limen venit æternitatis

Agni in montem Sion stantis

Aucturus Comitatum.

Nunc ocyùs exterge oculos, renovabis lachrymas Viator!

Magnum ſidus ſiccà pupillâ spectari nequit;

Cujus ad ortum ſi gavisus es, tecum gaudeo;

ad occasum an flebis, an lætabere? nescio.

Hoc ſcio: ſive terris treptum deſteas, ſive Cœlis insertū gaudeas;

utriusque tibi materiem præbet, & documentum:

Nam qui juſte vivendi iconiſmum peplō mortis obnubilavit;

bene moriendi ſpeculum in femetiſpo accendit;

Quod tibi, & posteris in exemplum irradaret

Illi-

Illustrissimus, ac Excellentissimus D.D. WEN-
CESLAUS, NORBERTUS, OCTAVIANUS KINSKY, S.
R. I. Comes de Chinitz, & Tettau, Hæreditarius Dominus
in Chlymetz, Bohemico - Kamnitz, Wickleckh, Winar, Kol-
lodieg, Draschitzka, Nadiegkow, Chotzenitz, Drahobus,
Radošchin, Rattey, Prschitz, Starczowa - Lhota, Chisska,
Bürgstein, Kratienow, Richenburg, Rosititz, & Aurzetiz,
Aurei Velleris Eques, Sac: Regiaeq; Majest: Intimus Actualis
Conferentiarum Consiliarius, Camerarius, & in Inclito Bohe-
miæ Regno Regiæ Aulæ Supremus, & Hæreditarius Praefectus.

Primam lucem ibidem aspexit, ubi lumina clausit,
in Principe Regni Urbe Praga.

Anno 1642. Mense Julio, die 10. Czechiæ illuxit

WENCESLAUS.

Jam de meridie ad occasum Sol properabat velocius,
Miratus Planetem Æmulum ad Leonem maturare,
Qui geminos esset Regni firmamento accensurus cardines
Sapientiæ & Pietatis Candore

NORBERTUS.

Ex hac luce ad recens natum Justitiæ Solem properavit
Infra Octavam CHRISTI Nascentis denasci exorsus

Humilis OCTAVIANUS.

Mox à teneris inter Musas & Virtutes ætatem divisit,
Portentum ingenij adoravit Pallas Mansuetior,
adoreis redimivit severior,

Ità Musis enutritus liberalibus facile bono publico adolevit,
Cùm penè scientijs Ipse Palladium foret.

Juris - Prudentiæ Stadij Ingolstadij decurrit tam feliciter,
ut omnium animos una sui admiratione defigeret.

Adij Justiniani Genium se videre,

Alij Phœnicem Ulpiani se audire jurabant.

Limatâ Juris - Prudentiâ sublimatus in arenam descendit,

Sinè Præside congressurus
Qui Republicæ Præsidijs jam tunc aptus credebatur.
Sed prima objectio Censoris superciliosus notabatur :
Quo Jure præter solitum, absq; Thesibus Juris palmas legeret?
Solvit argumentum Comes argutissimus,
Et pro Thesibus Juris Universi codices singulis obtulit,
Ut quod quisq; opponeret copiosius,
ed clareret gloriösius Disputantis ingenium.
Collectis Legum arcans
per Provincias exteras morum legebat elegantiam,
non aliud probando, quam quod ipsa honestas eligeret.
Regales inibi complurium Monarcharum animos
una mente complexus.
Inde revertentem, umbra Virtutis, Honor secutus est ;
Qui nè subito summa peteret Culmina,
Compedes injectit Comes Illustrissimus
Nolens Splendere in summis,
Nisi prius pro Regni emolumento radiaret in imis e
Utq; subinde saluti Patriæ Primis consuleret in Præsidijs,
Ad prima respexit fundamenta,
per annos dando vacans Consilio,
Celebratissimus Regiarum Appellationum Consiliarius.
In Indyto Appellationum Consilio ita Patriæ, ita sibi consuluit,
ut post gloriösius emensa plurium annorum curricula,
Præmissa Sacræ, Cæsareæ, Regiæq; Majest: Camerarij Dignitate,
Supremus hujus Consilij audiret Consul.
Præses Appellationum Excellentissimus.
Plus ultrà !
Ad summa Nato,
quæ Suprema Regnum habuit,
præmiatrices dedere virtutes :
Supremum Regni Judicem Æquitas ;
Supremum Camerarij Industria ;
Cancellarium Regis Bohemiæ, etiam Supremum, Sapientia,
Actua-

Actualem Intimū Sac: Cæf: Regiæq; Maj: Consiliarium Fidelitas ;
Hæreditarium Regiæ Aulæ Boh: Præfectum Vigilantia,
Aurei Velleris Equitem velox in exequendo Solertia,
Supremum deniq; omnium Instantiarum Directorem
celebrata per Orbem Prudentia
Regno dedit in emolumentum, Regijs mentibus dedit in
solutum.

Sanè versatus Ille in omnibus, versabat ocyssimè singula ;
Quidquid aggressus, feliciter ; quidquid rogatus, promptè ;
Quidquid jussus, solicitè ad amissim expediebat.

In Tribunalibus prodigium, in decisionibus oraculum,
In perplexis, ac dubijs miraculum ;

Inquis terror, æquitatis amatoribus, Cor & Anima fuit.

Tam semper æqui tenax jura dixit, justa scripsit ;

Ut eadem lege, quâ diceret, vel scribebat Juris Sententiam,
damnaret, & proscriberet legum injuriam.

Unam sibi legem, heu multis difficilem ! posuit :

Divitijs malle carere proprijs,

quam vel obolō jus fraudare alienum,

Eo fine (quantum licuit) Missæ Sacrificio supplex in dies,

DEUM consulebat Judicem,

quò pactō conscientiæ suæ consuleret.

Justitiam è Cœlo spectatrixem, ut è terris adiret securus,

Audivit, quo ad rexit, spectavit, quoad yixit.

Neque Adversarium mortalitatis metuit Causidicum,

Qui pro sua causa Angelos coluit Consiliarios,

Divos Coelites adscivit in Advocatos ;

Religiosos, Viduas, Pupillos, & egenos pro se ditavit Oratores :

In Sanctorum splendorem, in hominum subsidium,

Auri & argenti millia , dum vixit, profundebat ,

Ut in utrorumq; cordibus morientis amor liberalius irradiaret ,

Facundior Tulliō claresceret Magnificentia ,

Si nummi, quos indigis impertijt, formarentur in literas ,

Si ædes , & aræ, quas Divis partim exexit ,

par-

partim instauravit, animarentur in Voces.
Templum in subiecta sibi terra ferre non potuit ruinosum,
nullum spectare indecorum :
Ipsi Cœlites suæ Gloriæ Architectum testantur,
quod splendidius Ejus terram inhabitent.
Quippe magnifica pietas, quidquid afflat, ædificat,
quidquid intrat, condecorat.
Cultor superum, Pater fuit subditorum :
Quisquis ad Religionis statum,
Quisquis ad Sacerdotij dignitatem postularet veniam,
negabat nemini: quin omnes illi se Domino subiectos gaudebant:
A quo libertate donati servi, liberalitate adjuti Clientes,
Dominum amarent, & Patronum.
Hoc benignitatis habent sydera,
ut munera etiam non poscentibus impertiant.
At, qui pro fortuna aliorum totus stetit,
proprijs adversitatibus pressus nunquam concidit.
In flebili infortunio risit fortunam,
adoravit Cœli Providentiam :
Ubique rerum suarum Dominam
in WENESLAO se ostendit Magnanimitas, non servam.
Ipsæ aded calamitates felicem fecere Viri Patientiam,
Jobi calamō dignam ;
Dum Ejusdem stylō pressuras reprimeret suspirando :
Dominus dedit, Dominus abstulit, sit Nomen Domini benedictum.
Quin imo Uni Divinæ intentus Voluntati ;
Nec vitam morti, nec mortem vitæ præferebat,
postremis præsertim vitæ annis ;
Quibus, beatæ mortis amore incensus,
extra Regni curas sibi, Deoque vacabat.
Hoc millies repetitum
in Divinam voluntatem resignati suspirium :
Fiat Voluntas tua !
Facta est Voluntas Numinis,

Et

Et coronata gloriōsē Vita Magni Viatoris.

Quāteris : qua Corona ?

Beata mors optima Corona vitæ :

Qualem Religiosissimus quisque suo devoveret solatio,
tali occubuit Excellētissimus Comes Wenceslaus.

Angelico certè comitatu stipatus,

ab Angelorum Domina non aberravit,

Cui in terra sua Domum Lautetanam posuit,

Angelorum Æmulatot :

Hos constanti pietate fidos Comites

in Domum æternitatis gradiens, invitabat,

Ut, qui vitam sapienter traductam Ucibus deferebat Cherubinis,
Mortem ardentiſſimo affeſtu adſtitibus oppeteret Seraphinis.

Indè illa flagrantis animi ad ſolum Numen ſuſpiria,
actuum Theologorum incendia.

Indè Cœleſtis Patriæ desideriō fuſcitata amoris deliquia.

Summè contritum cor omnes conterebat,
ut omnium cordibus mori putaretur.

Hoc etiam laudis in Viro
mundanis curis multūm antehac diſtentō ;

Quod extremitis vitæ diebus
tam alienum à terrenis exhiberet animum,
quasi nihil unquam de terra poſſediffet.

Jacebat æger erectissimō in D E U M animō,

Quimentem amplissimam mundi puncto coſmodavit duntaxat,
non donavit.

Cùm mors maturam Cœlo animam transcribere moraretur :

Curru vehi voluit celerimè ,

Sicubi errabundam per Campos multis precibus offendideret.

Compulsa tandem venit, & victa ferme erubuit,

Quod is nihil haberet reliquum, ad quod expalleſceret ;
dumq; telum in Corpus stupefacta vibraret,

Separatam à terrenis animam mirata obriguit :

itā furtivas libitinæ eluſit insidias ,

Et

Et magnam animam D E O Servatori ter Maximo reddidit,
Quæris etiamnum: quantus fuerit? brevi epitome accipe:
Magnum honores, Majorem præclaræ Dotes,
Maximum Sancta mors ostendit.
Luges ô Viator!
Quòd Sydus tam Illustrē jam lucere non videas?
Gaude, quòd in Illo tam illustrē moriendi speculum videris;
Et dum Ei lucem precaris felicissimam;
Sic luce, ut sic occumbas.

Eja manes Parthenij sub umbra M A R I A N Æ dilectionis
tutè quiescentes, feliciori vitæ in æternos hodie procurrite am-
plexus. Oratio mea Vestræ tacita applaudit felicitati, quòd Tan-
tæ Advocatæ eloquentiâ, subarrhatū vetiti fructûs eduliô, annul-
latum sit connubium, quódque insertus digito, prima in Vir-
ginis Clientes inauguratione, annulus arrha vitæ est, cuius fi-
gura amplexus quidam est æternitatis, gemma amor, cor-
rumpi nescius. Corona capiti inserta, immortali vere viren-
tibus contexta fertis, perennitatis pronuba. Ite jam felices
Umbræ, & Viventium Matri brachia individuo complexu-
innectite, quâ Advocatâ licuit vobis ad Agni nuptias introire.
Tu verò Alma Virginis Annunciatæ Sodalitas, doloris pone
catastrophen, lugubri gemitu abstine dum Eos, qui visi
sunt mori oculis insipientium, Morte delusa,
vivere

D I X I.